

KNY-18-00727

11 18/6/60

*L. D. B. V.*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
PRINCIPE REGIO, ELECT. ET PROVINCIARVM  
SAXONICARVM HEREDE, ETC. ETC.

EX  
IVRIS PRUDENTIA VNIVERSALE  
EXTRICATAM SENTENTIAM

DE  
EXORDIO  
PROPRIETATIS,

SEV  
ORIGINE DOMINII,

SVB PRAESIDIO

IO. HENRICI BERGERI,

SERENISS. AC POTENTISSL. REG. AC ELECT. SAX. IN  
SVMMO PROVOCAT. SENATU CONSILARIJ,  
ATQVE ORDINARIJ IN ACADEMIA  
VITEMBERGENSI, ETC.

PRAECEPTORIS SVI ATQVE PATRONI OMNI CVLTV AC  
OBSERVANTIA PROSECVENDI,

AD DISPUTANDVM PROPONIT

IOANNES GODOFREDVS HARTVNGIVS,  
IVR. VTR. CAND.

AD DIEM APRIL. A. R. S. M DCC IX.  
IN AVDITOR. ICT.

*M. 18/6/60*

IN LERIDICO AVGUSTO  
CIVITATIS ROMANAE ET PROVINCIÆ  
CARTOGRAMMÆ ALEXANDRIÆ ETIC

1525 VENITIA  
SENTELMAT

EXORDI  
PRÆPSERIATSE

ORIGINE DOMINI

KNY-18-00727



JOHANNES GODOLFERDAS HARTMIGIA  
IAR. ATR. CAND.  
AD DIRM. APRIL. A. R. 1500  
IN ADOPTIO



I. G. HARTVNGIUS  
L. B. S.



Vanquam in amplissimo Iuris et eius Prudentiae campo nunquam deficiet spatium, quod eligere virtuti quisque suae et ad certandum cum aliis possit: tamen in praesenti, cum constitutum apud animus esset, subire iterum certamen publicum, more institutoque maiorum, antequam Summum, quod omnia moderatur, Numen, me ex hac Academia, quadam quasi palaestra virtutis et doctrinae per totum, qua literis colitur, orbem celebratissima, dimoueret; non aliud deligere spatium placnit, quam Iurisprudentiae, ut vocari, et recte quidem, solet, Uniuersalis. Nam et si hoc nomen tribui et possit et soleat illi Iurisprudentiae, quae per tot ac tanta et fere innumerabilia uolumina diffusa ius omne, Diuinum pariter atque Humanum, omnesque utriusque partes, communi quodam uinculo et quadam quasi cognatione inter se coniunctas et copulatas complectitur: id ipsum tamen potissimum de eo genere Iurisprudentiae, quae in explicandis legibus non scriptis, sed natis, uersatur, usurpari, idque iure optimo, solet, non solum quod illae leges, quibus natura imbuti sunt homines, ad uniuersum genus humanum pertineant; sed et quod harum legum scientia atque

):(

co-

cognitio tanta sit ac tam ampla, ut una omnis iuris fundamenta continere, et omnis fontem prudentiae videatur. Iurisprudentia enim Naturalis eruendo ea et explanando, quae natura mortalium animis ingenerauit, non solum mores format hominum et actiones ad honestatem componit; uerum etiam iuri Ciuiili, Publico iuxta ac Priuato, tamque constituendo, quam constituto, miram quandam lucem affert, ut cum ante sciueris, quid lege sanctum sit, aut sancti expediatur, iam quoque intelligas, bene aliquid an male sanctum sit, et quid in futurum aut tolli de ueteri, aut constitui de nouo, aut permitti in republica recte uel possit uel debeat. Quocirca dolendum maximopere est, nobilissimum Iuris Naturalis studium a tam multis negligi, qualicunque Iuris Ciuilis notitia contentis, praesertim ea, quae ad caussas agendas pertinet, quasi uero Patronis et Aduocatis, si ueri esse uelint et sancti, id nihil profuturum sit, quo et solidior efficitur scientia ciuilis iuris, et in usu et applicatione certiores redduntur de multis, quae aut male fiunt, cum recte, aut recte, cum male fieri videantur. Evidem id nemo cordatus negabit, qui paulo altius in hoc studii genere proiectus sit, non omnia ingenia aeque apta ad Iurisprudentiam Naturalem atque capacia esse, nec ad unum omnes gradum pertinenturos, propterea quod uniuersum Ius Naturae sit res iudicii, et cum Iure Ciuali multa contineantur, quae sufficiat memoria comprehendisse, idque facili opera, sine multa et laboriosa cogitatione, contra ea Ius N. ita sit comparatum, ut nemo multum in eo proficerit, qui non et ingenio instructus acri, et laboris patientissimus fuerit. Nam qui aut ab omnibus id natura putant intelligi hominibus, sine cura et meditatione, aut statim nullo negotio ab acutis ingenii quidquid sit Iuris Naturalis, definiri posse, ualde uebementerque errant, et scientes nomen Iuris Naturae uim nominis et amplitudinem ignorant. Neque enim id solum Iuris Naturalis est, quod quilibet homo, insima quoque de plebe, naturali lumine uidet recte aut secus fieri; sed et quod summis ingenii excoxitatum ab aliis simplicioribus, postquam perspicue propositum est, aut intelligitur perfecte et comprobatur, aut nullis idoneis

neis rationibus euerti potest: nec tam facile esse, ac multi opinantur, Iuris N. studium, etiam illis ipsis, qui ingenio polleant, praeter tot maximorum uirorum disceptationes id quoque argumento est, quod uiri omnem propemodum aetatem in studio Morali uer-  
sati, quorumque uires ingenii omnes nouimus, quotidie reperiant quod mutent. Itaque et ingenio opus est et industria, et quo quis de illis minus habet, eo minus profecerit in disciplina Morali; quo plus, eo maiores faciet progressus. Sed et porro tamen quoque Ciuilis iuris scientia requiritur, cum mediocris in eo, qui Ius Naturae penitus cognoscere cupit, tum exactior in doctore: Et hoc ipsum est, quod in Pufendorfio quoque et inimici animaduerterunt, uitioque dederunt, et amici doluerunt, quod sc. non satis instructus scientia Iuris Ciuilis fuerit.

Neque vero existimandum est, post Grotium, Pufendorfum, aliosque, qui non inutilem operam Iurisprudentiae Universali nauarunt, nihil superesse, quod aut inueniri, aut inventum magis excoli et corrigi possit; cum tantum absit, ut occupata sit ueritas, et exhausta naturalis prudentia iuris et ad summum perducta; ut potius a calce ad carceres revertendum, et cum ex genuino fonte, tum via quoque recta repetenda esse omnia videantur. Sive enim generalia spectemus Iuris Naturae, quae colligere quasi prius in margine et tenere debemus, quam in ipsum Iuris oceanum prouehamur; sive ea, quae ad Ius Naturae ipsum, et corpus quasi legum naturalium pertinent; sive denique modum et ordinem tractandi, in quo multum ego situm semper positumque existimau: magnum projecto spicilegium superest, uel in illis ipsis, quae multo studio inuestigata, animorumque maxima contentione summos inter uiros agitata fuerunt. Quanto ardore, ut de multis pauca data occasione delibemus, non disputatum fuit cum olim inter ipsos Scholasticos, tum tempore in primis Pufendorfi, de intrinseca actuum Iure N. praeceptorum vel prohibitorum honestate uel turpitudine, et Principio, ut vocarunt, Iuris N. uniuersali, seu propositione aliqua fundamentali, ut nauseam procreare et tedium uel sola horum repetitio uocabulorum apta sit? et tamen si

Huius parte Iuris Naturalis, hac profecto utraque opus est ingeniosa industria, postquam talia a Pufendorfio, ingeniosissimo Viro, allata sunt et contra aduersarios suos propugnata, ut multorum maximorum virorum iudicio superior ex pugna decesserit, quaeque ab eo dicta, facilius silentio praeteriri, quam solide confutari possint: et utilitas pariter hominum atque ipsius honor summi Numinis postulat, ut quis ab omni praeiudicio et partium studio vacuus rem omnem tempore Pufendorfi tumuluxaria opera tractatam, nunc quasi in pace ab origine ordine iusto & accurato deducat, et cum priori quidem controversia coniungat doctrinam de immutabilitate Iuris Naturalis, ita generatim dictam, cum quia arctissimo illi nexu cohaeret, tum quia iam amplius non licet ab illa doctrina plane abstinere, postquam ab aliis immutabilitas simpliciter et absolute asserta, ab aliis contra simpliciter negata, ab aliis denique cum ICtis, tum Theologis quoque non incelebris media via electa fuit, sed vulgo parum accurate tractata, et ab illis ipsis quidem omnium minime, a quibus id potissimum sperauisse. Scilicet ante omnia tria diligentissime inter se et accuratissime sunt distinguenda: Primum: utrum actus Iure N. praecepti vel prohibiti ideo praecepti prohibitiae fuerint, quod necessario natura sua ante legem praeipientem vel prohibentem ita sanctitati et iustitiae Diuinae et ad utramque respicienti sapientiae, conueniant vel disconueniant, ut nisi praecepti aut vetiti fuissent, sanctissimum iustissimumque Numen contra sanctitatem iustitiamque suam et ad utramque relatam sapientiam, egisse dicendum foret: an uero praecepti vel prohibiti propter conditionem humanae naturae rationalis et socialis, et AD HANC RESPICIENTEM Diuini Numinis cum sapientiam, tum illam perfectionem, qua sibi meti ipsi in operibus suis contrarium esse non potest: idque vel quatenus genus humanum et societas aliter subsistere nequeat, quo H. Grotius abiit; vel quatenus natura humana, seu essentia hominis ab existentia abstracta in intellectu Diuino, ante Diuinam voluntatem creandi hominis, immutabili ratione, cum et ipsa Dei sapientia sit immutabilis,

fue-

fuerit, et sic necessitatem attulerit Deo non aliter creandi hominem, atque postmodum creavit, nec alius legibus imbuendi, quam imbuuit, ut ad ultimum subtilissime Zentgrauius contra Pufendorfum disputauit; an uero ob aliam causam, et qualem illam tandem, et an omnes actus fuerint? Alterum: an quaecunque tandem sententia eligatur, ex ea inferri et asseri possit, actus istos esse per se et suanatura ante Diuinam uoluntatem et legem, (non solum humanam, quod nemo nisi Carneades et eius similes negarunt; sed et Diuinam et Naturalem) uel bonos uel malos, non solum eo sensu, quo bonus et malus actus idem sit, qui utilis generi humano et nocivus, si promiscue exerceretur, atque adeo, licet praeceptus actus a Deo aut prohibitus non fuisset, tamen et ille obseruandus hominibus, et hic fugiendus fuisset, non quidem ex obligatione, quae omnis unice ex lege est, et sub poena, sed ex prudentia et propter utilitatem in omne genus humanum redundantem: aut eo sensu, quo non potuerint non alii actus a sapientissimo perfectissimoque Numine lege praecipi, et alii, quacunque demum ex causa, prohiberi, et postquam praecepti prohibitiae sunt, non tolli uicissim aut mutari possint, quod nec Pufendorfus, nec alii prudentiorum negauerunt, licet diuersis rationibus mixi fuerint: sed et eo sensu, quo actus isti ita comparati ante Diuinam uoluntatem, atque adeo ante omnem aeternitatem (quia quaecunque Deus unquam uoluisse dicitur, ea propter summam perfectionem ab aeterno et simul uoluisse putandus est:) fuerint, ut fieri omittiae ab hominibus ex obligatione et sub poena debuissent, licet nulla lege (sine qua tamen peccatum, seu actionem malam, late sumat, i. e. uel commissionem eius, quod omitti, uel omissionem, quod fieri ex obligatione debuisset, nec esse, nec concipi posse, uel in primis adolescentiae annis ex eo addiscimus, quod scriptum extat: η απαρτα εσν η ανοηια) nec Diuina Positiva, nec Naturali praecepti prohibitiae fuissent, i. e. licet nec Scriptura Sacra, nec sana ratio illos faciendos, hos omittendos esse dictitasset: imo licet ne homo quidem ullus, nec actus hominis physicus existeret, cum homo sine ratione et eius dictatis, h. e. Iure N. actus illos, de quibus quaeritur,

ritur, alios praecipiente, alios prohibente, creatus non foret homo, sed bestia forma induita tali, qualem nunc homo gerit? Tertium: an siue ista altera quaestio affirmetur, siue negetur, itemque quacunque ex causa affirmetur, possit loco principii cognoscendi admitti aut sanctitas iustitiae Diuina, aut ut ita loquar, perseitas, ut aut id dicatur Iure N. praeceptum uel prohibitum intelligendum esse, quod sanctitati iustitiae Diuinae per se et natura sua uel conueniat, uel repugnet; aut id, quod per se ante uoluntatem et legem diuinam honestum uel turpe sit? Nam et ex iis, qui actus per se honestos uel turpes uolunt, sapientiores diuersa utuntur via, aliis ad sanctitatem iustitiamque Diuinam, aliis ad humanae naturam confugientibus: et eorum, qui actus propter sanctitatem et iustitiam Diuinam praeceptos uel prohibitos statuunt, multi simul eandem, imo dictam illam perseitatem, pro principio cognoscendi haberi uolunt: et nisi ista tria inter se diligentissime distinxeris, et singula separata, collatis semper aduersariorum argumentis, accuratissime expenderis, nunquam feliciter ex intricatissima controvrsia emerseris.

Tum uero progrediendum ad doctrinam de immutabilitate Iuris N. et primum excutienda uis uocabuli, constituendumque, aliud esse mutare legem seu tollere, aliud dispensare, seu manente lege et ceteros omnes obligante, unum uel alterum a uinculo legis eximere. Deinde subiungendum, quaeri de mutatione et dispensatione Dei, non hominum, quippe quibus nullum dubium sit quin plane nulla potestas competit in Ius N. ne quidem, si accurate rem inspiciamus, Permissivum. Tum distinguenda dispensatio probe diligenterque est a gratia seu uenia delicti contra legem naturae perpetrati, separataque diuidenda in eam, quae ipso iussu diuino continetur, et aliam, quae fit permissione et concessione expressa uel tacita supremi legislatoris. Nam quod H. Grotius, quodammodo tamen dubie, quia non dispensationis, sed mutationis uocabulo utitur, et cum eo tot alii uiri, iisque clarissimi et expressis uerbis, existimarunt, eo casu, quando ipse Deus O. M. occidere hominem inbeat, aut ei bona auferri, nullam subesse dispensationem, sed

mate-

materiam tantum legi substrabi, id vero insigni arguento est,  
et Grotium fuisse hominem, et tanti uiri titubationem a los plane  
in lapsu traxisse, non magis faciente ad rem exemplo, quod  
de debitore, cui a creditore debitum remittitur, Grotius attulit,  
quam aut dici potest, hoc casu materiam legi ita substrabi ut  
in illo iubentis occisionem Dei, cum lex N. nunquam aliter obli-  
gatum debitorem uoluit, quam si creditor iure suo non cederet;  
aut, siquidem id concederetur, negari, cum in omni dispensa-  
tionis genere, tam ea, quae iussu legislatoris, quam illa, quae  
permissione ad preces supplicantis sit, materiam legi substrabi, ut  
factum, quod sine iussu aut permissione legislatoris contra legem  
fuisse et consequenter uitiosum, iussu illo vel permissione subtra-  
batur legi, ut effectu nunquam ad illam pertinuisse, seu lex  
de hoc facto nunquam statuisse intelligatur: tum quoque illo  
ipso iussu divino de occidendo homine, aut auferendis ei bonis,  
disrumpi, aut si mavis, remitti et relaxari uinculum legis, in  
persona certa, et quod ad certum factum, idque exinde mani-  
festissime intelligi, quod, si iussus Divinus non praecessisset, non  
licuisset id facinus suscipere, ob firmum uinculum legis Naturae  
omnes homines obligantis; si uero ipso iussu uinculum legis  
non tolleretur, nec praecipi factum a Deo, nec executioni dari  
ab homine posset: (quia id omne, quod contra legem fit, pec-  
catum est, peccatum autem nec praecipi a Deo potest, nec com-  
mitti oportet ab homine:) tum denique ruptionem aut remis-  
sionem vinculi legis, quod ad unum vel alterum hominem et fa-  
ctum, reuera nibil aliud esse, quam dispensationem. Quae qui-  
dem Grotio aliisque non fuisse obseruata, mirum mibi non uide-  
tur, quia fundamentum Iuris N. in intrinseca actuum, quos iu-  
bet uel uetat, honestate aut turpitudine, exclusa Dei voluntate,  
posuerunt: At nec Pufendorfum, acutissimum illum et acerri-  
mum contrariae sententiae defensorem, neque alios, qui vestigia  
Pufendorfiana secuti sunt, id satis uidisse, aut minimum scriptis  
publicis animi sententiam exposuisse, id quidem valde miror ego,

) : ( ) :

et

et saepe multumque miratus sum. Sed ut redcat illuc, unde  
diuertit oratio, facta, quam dixi, dispensationis distinctione  
sam reuertendum ad principium est, et accurate uidendum pri-  
mo, an Ius Naturae mutari plane et tolli a Deo uel totum, ue-  
pro parte possit: deinde, utrum Deus gratiam delicti contra Ius  
N. patrati sine satisfactione aut propria aut imputata, facere pos-  
sit: denique, an Deus dispensare circa unum vel alterum caput  
Iuris N. possit, idque dividim et sigillatim spectandum est, pro di-  
uerso dispensationis genere, et primum uidendum, quousque Deus  
O. M. possit iubere id, quod sine iussu illo legi aduersum esset et  
consequenter peccatum: et quia hoc fieri non potest sine accu-  
ratori notitia iuris Dei in homines, imperique Diuini in mun-  
dum uniuersum, considerandum id ipsum prius est, et prout in-  
genio humano fieri potest, ex parte cum hominum, tum Dei O.  
M. cum pietate et reverentia definiendum: tum vero uidendum,  
quatenus alterum genus dispensationis, quae ad preces fit sup-  
plicantis, aut minimum non ipso iussu legislatoris continetur,  
procedat, percurrente praecepta de officiis cum erga Uenam,  
tum erga se ipsum et alios. Uniuersum autem negotium ita  
expediendum est, ut primum semper rationis sibi soli relictae  
cura habeatur, deinde rationis dictamen ad Sacrum Oraculum  
referatur, diligenterque inquiratur, an quid contrarii fa-  
cias scripturis contineatur, si nihil reperitur, tum demum  
in dictamine rationis subsistamus, adieclo tamen in uniuersum  
quodam temperamento, ipsimet rationi quam maxime con-  
sentaneo. Sic futurum est, ut quasi in mari procelloso et in-  
ter scopulos nauigantes medio tutissime procedamus, nec Scho-  
lasticorum turbae adhaerentes hominumque saepe ne quidem  
vocabulum dispensationis intelligentium; nec in Szydlouii albo-  
rumque audaciam impingentes, id quidem ex una parte recte sta-  
tuentium, licere hominibus omne id, quod ipsis a Deo contra  
Ius N. aut iubatur, aut permittatur; sed quod ad alteram  
partem, parum accurate ratiocinantum, quid optima per-  
fectis-

fectissimaque natura Dei aut iuberi, aut permitti hominibus patiatur. Nam ut omnium maximam stultitiam esse puto, per impias doctrinas graffari ad gloriam, aut ea, quae sacris scripturis expressa aut determinata leguntur, in dubium vocare, eo quod ratione capi non possint, cum multa, quae oculis nostris quotidie cernimus, et facta esse non possumus negare, quomodo produci potuerint, acque minus capere ratione possimus, ut caelum tot stellis conspicuum, et orbis terrarum ita stabilis, atque ita cohaerens ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius: sic tamen de iis, quae ex Sacris Scripturis aliter demonstrari non possunt, spernere iudicium rationis atque damnare, id profecto ualde uereor ne ingeniosissimus quisque manifestum interpretetur indicium aut ingentis stupiditatis, ut non possis capere ingenio, quod uelis; aut insignis negligentiae, ut nondum satis rem omnem expenderis; aut incredibilis malitia, ut aliter loquaris ac sentias, et sciens uolensque suppressas ueritatem. Itaque philosophari licet, sed sobrie atque ita, ut iure nec simplicitate stupidi, nec ratione temerarii, et aduersus Deum immortalem impii iudicemur.

Porro quanquam de genuino principio cognoscendi Iuris Naturae inde a Grotii temporibus et Pufendorfi usque in hunc diem acriter disputatum fuit, ut dissertationes et sententiae de illo ne numerari quidem omnes possint: ecquis tamen audeat affirmare, nihil superesse, quod aut uerius dici aut explicatius possit? ipsi maximi uiri ea de re mutant quotidie sententias, maximo arguento, nondum occupatam esse ueritatem. Fateror, nullam unquam rem tamdiu me dubium anticipitemque tenuisse, quem hanc de principio doctrinam: conquisi, quotquot potui, sententias, quia et sentiebam, frustra laborari in disciplina Juris N. nisi id certum esset et firmum, ad quod referri omnia oporteret; et semper non esse temere ab iis, quae ante nos bene dicta sunt, recedendum existimau. Conquisitas sen-

sentias dispertivi per sex classes, quarum continet prima eos, qui principium cognoscendi praecepta Juris N. in ipsis officiis et praeceptis, seu, quia hoc quodammodo indignum uidetur de doctis uiris dici, in generali multorum specialium praeceptorum denominatione posuerunt: secunda eos, qui extra officia quidem et ipsa praecepta, uel minimum non in solis officiis, sed plura quam unum principia cognoscendi Juris N. tradiderunt: tertia eos, qui non quidem in ipsis praeceptis principium cognoscendi Juris N. posuerunt, nec plura quam unum admiserunt, sed id ipsum extra hominem et dictamen rationis ex statu integro repetuerunt: quarta eos, qui ex statu quidem corrupto, sed itidem extra hominem et dictamen rationis aliunde Jus N. deducendum esse existimarent: quinta eos, qui dictamen rationis pro principio habent, sed nudae, aut cui praeter nomen rectae nihil addunt, ex quo de ueritate dictatorum, seu rationis, ut si loquar, rectitudine constet: sexta eos, qui etiam negantes dictamen rationis idoneum principium cognoscendi Juris N. esse, id ipsum tamen dictamen re ipsa non excluserunt, sed ei dant taxat aliquid addiderunt, ex quo uelut ex regula de rectitudine rationis et dictatorum ueritate constare posse censuerunt. Dispertitas per classes sententias coepi flagranti animo examinare, uincente difficultatem, et laborem, et taedium, quae in re illa insunt omnia, cupiditate: et id quidem intellexi, frustra saepe contra unum et alterum disputatum fuisse, et ex odio magis auctoris, quam amore ueritatis, itemque alia, quae reiici meruerunt, non idonea ex causa reiecta fuisse: sed ex omnibus tamen, quod sine inuidia, et salua cuiusque auctoritate dixerim, mibi nullum reperire licuit, quod qualitates uel ab ipsismet auctoribus praescriptas habere uisum fuisset, aliis quidem aliis melioribus, et inter omnes eminenti illo socialitatris principio, sed et aliis simplicitate obscuris et dubiis, aliis subtilitate etiam magis rem obscurantibus. Itaque cum liberum sit literarum commercium, ipsemet coepi de principio quodam cognoscendi, relicto

cui-

cuique suo , serio meditari , donec animaduertenti partim , oleum  
et operam perdi , si Ius N. extra hominem , et quidem prout iam  
is se habet , quaeratur ; partim reuera tenebras offundere luci ,  
et ipsam propemodum uim obligandi detrabere Iuri Naturali ,  
qui id aliunde quam ex dictamine rationis deriuandum putent ;  
partim denique , si ita generatim dictamen rationis ponatur , uel  
etiam addatur rectae , quo sibi multi uocabulo placuerunt , reue-  
ra dubium remanere , quae sententia alteri sit praefferenda , si  
duo diuersa affirment uel negent prouocantes utrique ad dicta-  
men rationis , aut quae ratio pro recta haberri debeat ? cum-  
que non possit non quilibet id pro uero habere , quod ipsi sua ra-  
tio dictitat , uix aliter fieri posse uideri , quam ut cum Hobbesio  
per rectam rationem intelligamus cuiusvis propriam , quo gene-  
ratim admissa iam facile quasuis doctrinas , etiam scelestas et  
impias , defendi posse : haec , inquam , mibi animaduertenti fir-  
ma tandem haesit sententia , uerum , et unicum , et adaequatum ,  
et tale , quale oportet esse , principium cognoscendi Iuris N. nullum  
esse aliud , quam dictamen rationis , non rectae , ut vulgo iacti-  
tatur , sed nullo morbo corporis , v.c. febri ardente , dolore capi-  
tis insigniori , impeditae , et post certum aliquod examen dicti-  
tantis , cum ad triplicem materiam Iuris N. accommodatum ,  
tum ita comparatum , ut et ingenio locus sit , et hominum auda-  
cia retundatur temere et praepostere ad dictamen rationis pro-  
uocantium , quatenus id per naturalem ingeniorum diuersitatem ,  
hominumque malitiam , saepe negantium aut affirmantium , quae  
secus esse non ignorant , fieri potest . Nam et cogi intellectus non  
potest , hominesque compelli , ut idem loquantur quod sentiunt :  
et nemo cordatus negabit , qui uel mediocriter in Iuris prudentia  
Naturali uersatus est , quo quis praestantiori ingenio natura sit  
praeditus , hoc magis eum esse idoneum ad tractandum et inter-  
pretandum Ius Naturae : et omnes confitebuntur , qui Iuris Ci-  
uialis non ignari rem accurata animi lance pensitauerint , uti  
Iuris Civilis , sic Naturalis materiam esse et personas , et res , et

actiones. Clarius loqui, aut plura, quae aut ad haec, quae dixi, aut ad alia, sive generalia sive specialia Iuris N. capita, aut denique ordinem utraque tractandi, cui ego plurimum semper tribui, pertineant, in praesenti nec lubet, nec uacat, quia persequi, quae dicenda forent, et propugnare uix licet. Quamuis enim L. B. illa longe nobilissima atque amplissima Iurisprudentiae pars, quae hodie Naturalis uocatur, olim a ueteribus honestissimo nomine et excellentissimo, Philosophiae Moralis, designata est, et ambitu suo cum Ethicam, ut a ueteribus haec usurpata, et uulgaribus libellis Ethicis satis uulgariter proposita est, tum eam partem Politices, quae Architectonica uocatur, tum Ius Publicum Uniuersale, ut ab Hubero Hertioque tractatum est, complectitur, incredibili amore me diu occupatum constrictumque tenuerit, nec ingenii uiribus, quae demum cunque illae sint, nec corporis parcentem, animo atque consilio eam denuo nonoque ordine in examen disceptationemque publicam revocandi, salua dissidentium auctoritate, quos uel eo nomine, quod praececerint, honorandos esse arbitror; et ab his quasi iactis fundamentis suo tempore ad Ius Ciuale Priuatum, et inde ad Publicum progrediendi: tamen iam ualde uereor, ne mox alia mibi ineunda sit uia, et alia ratione quaerendi laboris fructus, quam tantisper haec stabundo animo contempnor. Interea temporis, praesentem dissertationem, non quidem eius argumenti, in quo cardo Iuris Naturalis ueretur, sed ob id ipsum de industria electi, et quasi de medio decerpti, nec doctorum uirorum personis indigni, quod tantos inter uiros uentilatum ingeniosissimi difficile semper ac intricatum crediderunt, aequo Tuo iudicio, L. B. submittendo, me praesentem benevolentiae Tuae, absentem benignae memoriae, Te uero, ubiunque terrarum sim, Diuinae clementiae commendando.

CO.

# COR LLARIA.

I.

**T**raditio non est modus Naturalis acquirendi dominii, sed Civilis, hoc sensu, ut sine ea nunquam transfeat dominium.

II.

Testamentum contra et Praescriptio, cum immemorialis, tum minoris temporis, aequo arbitrio determinandi, sunt modi ualidi transferendi acquirendique dominii Naturales, tum inter privatos, tum inter liberas gentes.

III.

Bonæ fidei possessor Jur. Nat. tenetur quoque de fructibus consumtis in tantum, in quantum factus est locupletior: Qnod Jure Civili secus et statui potest, et statutum esse videtur.

IV. Item-

## IV.

Itemque Jur. Civ. disponi potest, et Jure quoque Romano rectissime dispositum est, ut sufficiat ad praescriptionem, ab initio bonam fidem adfuisse, licet concedatur, J. N. bonam fidem requiri per totum tempus possessionis continuatam, non metuenda uel minima Juris Nat. derogatione : Nihilominus tamen in Saxonia nostra & toto Imperio JCti et iudices in ferendis sententiis Jus Romanum sequi salua iustitia non possunt.

## V.

Bonae fidei possessor in tantum censendus locupletior factus esse, quantum deductis fructuum impensis atque usuris pretii soluti superest, nisi probare possit, se si rem non possedisset, tantundem consumturum non fuisse.

**D**ominium seu proprietas, quae duo generatim dicta mihi ex sententia *Grotii, II. 2. 1. Pufendorfi, IV. 4. 2.* aliorumque unum idemque esse videntur, ab aliis contra uarie, sed subtilius magis, et ex uoluntate utentium, quam aut uerius, aut utilius distinguuntur, certe passim promiscue usurpata inueniuntur, uid. *B. Dn. Ziegler. add. l. Grotii*, uarie a uariis definitum est: sed in eo tamen, si non uerbis, saepe sat dubiis ac ancipitibus, tamen mente atque sententia fere omnes conueniunt, *quod sit jus, quo res corporalis ita ad aliquem pertineat, ut ea plenissime uti, de eaque libere disponere possit, quatenus neutrum aut ipsa conditio reipublicae, aut lex, aut pactum, idque uel proprium uel antecessorum, aut alia horum legitima uoluntas impeditat.* Nam et dominioin plenissima atque fortissima significacione accepto duplex uis, utendi plene, et alienandi libere, inesse creditur: et dubium non est, cum utendi facultatem, tum alienandi, uarie in utilitatem reipublicae, tam ipsa ciuitatis natura atque conditione, unde Dominium uulgare seu priuatum, eminenti, utuocatur, oppositum, idque uel singulare, quod uni; uel commune, quod pluribus pro indiuiso, competit: quam lege coerceri posse: unde dominium mariti in fundo dotali Jure Ciiali reuocabile est, et ut sic loquar, inalienabile, uid. *pr. J. quib. alien. lic. uel non. l. 42. D. de usucap. l. un. §. 15. C. de R. U. A.* et pacto id fieri uel proprio, uel antecessorum, et usus ac experientia probat, et sat nota diuisio dominii in *directum*, quod particulam proprietatis complectitur, et domino feudi, emphyteuseos, superficiei competit; et *utile*, quod usumfructum cum particula proprietatis continet, competitque uafallo, emphyteutae et superficiario. Cui addenda tertia species, ex doctrina potissimum *Dn. Praesidis*, dominium *proprietatis*,

v. l. 13. pr. l. 15. §. 8. et 7. l. 25. §. 1. de usufr. seu nuda proprietas,  
v. l. 2. quib. mod. ususfr. quod competit domino praedii, in  
quo alter seruitutem ususfructus sibi constitutam habet.  
Sed et alia antecessorum legitima uoluntate uim dominii  
imminui posse, patet exemplo testatoris legantis aut re-  
linquentis heredi domum, fundum, hac conditione, ne  
alienetur, lege conditionem approbante et confirmante,  
v. l. ult. C. de reb. alien. non alien.

## II.

Sed utrum exclusio aliorum ab usu eius rei, quae  
in dominio esse dicitur, ad substantiam dominii perti-  
neat, an uero sit effectus dominii naturalis, qui salua  
istius substantia abesse possit, de eo inter doctissimos et  
ingeniosissimos viros non satis conuenit, quia nec effectu  
carere quaestio uidetur, nec desunt in utramque par-  
tem rationes. Nam et inde consequitur, si unus sit in  
toto orbe, qui habeat eo utendi facultatem a D E O sibi  
concessam, ut aut dici possit dominium orbis habere,  
aut non possit, cuius deinde utriusque rei usus in disce-  
ptione de origine dominii amplissimus esse uidetur: et  
a parte illorum, qui exclusionem aliorum ad effectum  
dominii referunt, affertur, quod sufficiat ad tuendum  
dominii nomen, rem aliquam eiusque usum ac disposi-  
tionem ad aliquem solum, non ad aliud, illo inuito,  
pertinere, siue de caetero plures existant, qui participes  
eius rei fieri possint et uelint, siue non existant, pree-  
fertim cum alioqui non appareat, quomodo Summi Nu-  
minis dominium in mundum uniuersum aut concipi  
animo, aut ore defendi possit. Vid. Dn. Titius ad Pufend.  
de O. H et C. Obs. 276. in f. et 282. et Dn. Hertius ad Pufend.  
Op. Mai. IV, 4. 3. a parte uero eorum, qui exclusionem  
aliorum ab usu rei ad substantiam dominii referunt, mo-  
netur partim, quod, uti communio, ita nec proprietas  
intelligi, non existentibus pluribus, quam uno, possit;  
par-

partim quod dominium sit ius, ius autem homini cum  
aduersus D E V M nullum competit; neque etiam dici  
possit aduersus bestias competere, quia inter has et ho-  
mines nulla intercedat legum atque iuris communio,  
esse aliquod non possit, nisi alii homines existant. Vid.  
*Puf. d. IV, 4.3. et Dn. Thomasum J. J. D. II. 10. 46. et seqq.*

### III.

Qua de re si licet nostram sententiam dicere, uti  
utrinque sine dubio sermo est, aut minimum esse debet,  
non de iure ab usu rei alios excludendi, si qui fortasse  
ad eum postulare possint et uelint admitti, et tamen ni-  
hil iuris in eam aliquo ex illis minuendi dominii modis  
paulo ante commemoratis quae situm habent; sed de  
actuali, ut sic loquar, eius iuris exercitio, seu extrinseca  
facultate eo iure data occasione utendi, cum si ius ipsum  
deficiat, ne usus quidem rei plenus sit aut dici possit:  
ita nobis utrinque ratiocinando quodammodo excessum  
uidetur. Nam nec illam sententiam, absolui substantiam  
dominii usu rei plenissimo, licet unus tantum ex-  
istat, qui illo gaudeat, nec sint alii, quos ille arcere pos-  
sit, ita generatim expressam approbare possum, sed re-  
stringendam puto ad casum, si unus quidem et solus in  
praesenti sit, qui re aliqua uti possit, sed suo tempore  
plures extare possint, desideraturi, ut usus eius partici-  
pes reddantur, propterea quod alioquin si quis solus  
existat, nec quisquam unquam aliis sit exiturus, ius  
illud alios usu rei suae prohibendi procul dubio nullum  
sit, nec animo concipi possit, sed siquidem ille unus ita  
solus existat, ut nec ante ipsum aliis homo fuerit, nec  
post ipsum futurus sit, ne notum quidem eius iuris do-  
miniique esse nomen possit: sin ita solus existat, ut ante  
ipsum fuerint alii homines, post ipsum futuri sint nulli, et  
ius illud intercidat, quia exerceri non potest; et usur-  
pari amplius nomen dominii eo sensu non possit, quo

sumebatur prius, ususque rei plenissimus ab aliis usus generibus distinguebatur. Nec obstat, quod Deus nec ante se habuerit alium Deum, nec post se habuerit, nec habiturus sit unquam, quem ab usu dominii, quod in res omnes creatas habet, excludat, et tamen dicatur et dici debeat supremum huius uniuersi dominium habere. Tametsi enim ius DEI in res creatas uulgo dominii nomine insigniatur, nec id ego dixerim male fieri: tamen hoc dominium Diuinum non debet ad regulas et qualitates dominii humani, quod inter homines de rebus a DEO ipsis ad usum concessis, quacunque tandem ratione, constitutum est, exigi, cum illud quidem proprio iure nitatur, et ius uitae quoque ac necis in homines comprehendat: hoc autem dependeat a concessione diuina, et longe arctioribus limitibus sit circumscriptum, atque adeo illud in uniuersum longe sublimiori ratione ponderari pariter debeat atque describi.

#### IV.

Sed nec etiam quae ab altera parte proposita sunt, ita generatim accepta placent. Nam et proprietas intelligi posse mihi uidetur, ubi unus existit et solus, si plures suo tempore extituri sint, quos ille ab usu rei suae, ceteris paribus, excludere possit, licet communio nequeat esse aut concipi nisi inter plures: et non video, quare non, uti quaelibet facultas alioqui non competens, alicui legitime a legitimo imperante concessa; ita usus rerum a DEO creatarum uni etiam homini et soli in mundo existenti a DEO concessus, poscit uocari ius, respectu scilicet imperantis, qui uetare etiam id quod concessum est, potuisset: licet non solum illud ius, si nemus amplius extiturus sit, dominium appellari nequeat, per ea quae paulo ante diximus: sed et aduersus Deum dici non possit quaesitum esse, ea sententia, ac si in homine quidquam sit, quod reuocationem concessi usus atque iuris impeditat.

V. His

## V.

His non sine causa praemisis, progrediendum ad dominii originem, de qua mirifice digladiantur inter se doctissimi viri, aliis primaevae cuidam omnium rerum communioni innitentibus, quam postmodum facta hominum et pacto dominia rerum secuta sint; aliis hanc negantibus, iterumque aliis defendantibus: aliis denique aliam viam et quasi medium, sed et illam ipsam non unam atque eandem, ineuntibus. Sed ad has sententias pro instituti ratione recensendas atque enucleandas antequam accedamus, necesse est, ut de facultate humani generis in bestias ac reliquas res, quae terra marique continentur, paulisper dispiciamus, qualis scilicet illa et quanta sit, et quo fundamento respectu cum conditoris, tum rerum ipsarummet conditarum nitatur.

## VI.

Et quia fere hic, ut et in ipsa de origine dominii discepratione, lumen reuelatum cum lumine naturali commisceri solet: ego uero semper illa duo non quidem opponenda inter se et committenda, cum nulla uera sit inter Jus Naturae et Sacras Scripturas repugnantia, sed esse tamen probe distinguenda existimauit: uidendum primo, quid de illa facultate sana ratio dictitet, et deinde, quid in sacro codice ea de re scriptum reperiatur.

## VII.

Et primum quidem res illas, quae sensu carent, licere hominibus in suas utilitates conuertere, imo et bestiis licere sine earum occisione uti, uerbi causa lana et lacte ouium, itemque vaccarum, et equis bouibusque ad agriculturam, facile ex sana ratione, et duplice quidem via, probari potest, quarum altera directo, quod in quaestione est, altera per indirectum et quasi fugiendo probationem probatur. Nam aut dici potest id exinde constare, quod sine usu illo homines, nobilissimae in rer-

omnes res creatas et praestantissimae, optimoque ac  
sapientissimo conditori dilectissimae, uitam aut plane non  
agere, aut non nisi duriter atque misere possint, at-  
que hinc non possit non benignissimum Numen intelli-  
gi talem rerum usum, qualem diximus, hominibus in-  
dulsiſſe, hoc effectu, ut nec per eum usum ipsi condi-  
tori, quia ita uoluerit, nec rebus conditis, quia aut sen-  
sum nullum habent, aut si habent, eo fine creatae sunt,  
iniuria inferatur: aut ita procedi potest, ut dicamus, id  
omne licere homini, ab eoque sine cuiusquam iniuria  
fieri, quod per uires naturales facere possit, et ipsi nul-  
la lege, ne naturali quidem, sit interdictum: in pree-  
senti autem praedicti usus prohibitionem nulla idonea  
ratione adstrui posse et comprobari.

VIII.

At uero licere etiam bestias promiscue caedere in,  
hominum non solum usus necessarios, sed et utilitatem  
et ad perfruendas adeo voluptates, id ex eo dubium fit  
quod partim illae bestiae aequa ament uiuere ac homi-  
nes, et non sine sensu doloris uitam linquant; partim ipsi  
homines cum crebra caede bestiarum animum ad cru-  
delitatem adsuescant, aut natura in eam primum con-  
firment, tandem a bestiis ad homines progresuri: tum  
usu carnium occisarum bestiarum saepe ad officium fa-  
ciendum reddantur inidonei. Unde etiam non solum  
multi cum veterum Philosophorum, tum alii, aut gene-  
ratim caedem innoxiorum animalium, aut quorundam  
certe eorum improbauerunt, totaeque gentes abusu  
carnium, aut omnium, aut certorum generum, ab-  
ſtinuisse commemorantur: uid. Pufend. IV, 3. 4. sed  
sed et nonnulli, etiam nostris temporibus, nimium ue-  
nationis usum, praesertim eiusmodi, ubi summa uolu-  
ptas in extremo concitatarum ferarum ac agitatarum  
angore atque cruciatu ponitur, reprobarunt. Sed uti  
id

id facile constat, prohibitum esse Jure Naturali omnem bestiarum abusum, qui uel directo in conditoris O. M. contumeliam tendat, uel homines reddat officii negligentes: ira nec tamen adeo difficulter euinci quoque potest, licere hominibus non solum noxia sibi animalia, sed et alia cum ad usus necessarios, tum ad uitae commoditatem et innoxias uoluptates caedere, si quis modo illa duo secum reputauerit, licere nempe id omne hominibus, quod ipsis nulla lege interdictum sit: tum nullam inter bruta et homines esse legis atque iuris communionem.

## IX.

Evidem ne quid praetermittam, is scrupulus non spernendus uidetur, quod, licet bruta animantia iuris Naturalis capacia non sint ea sententia, ut homo ipsis aequa ac hominibus feriendo iniuriam inferat; tamen eatenus ad ius Naturae pertineant, quatenus lege Naturali, cuius soli homines capaces sunt, prohibita esse possit earum caedes bestiarum, quae nemini noceant: ut adeo talis prohibitio facta sit nec ne, nunc iam alia sit quaestio, quam qui negauerit, ei incumbat onus dubia paulo ante proposita, quia non parum in contrariam partem animum trahere ac rationis dictamen uidentur, funditus remouendi. At falsa res est, si quis modo attentius profundiusque ea considerauerit, quae breuiter et absolute dicta sunt. Nam reuera eo ipso, quo DEUS Optimus Maximus bruta pariter atque homines condidit, sed hos quidem inter se iuris vinculo copulauit, et ad seruandam societatem, uitamque tranquille atque pacifice sine cuiusquam laesione, damno, dolore, iniuria, transigendam adstrinxit: illa autem et ab humana societate et iure Naturae exclusit, ut inter ea et homines nulla nec iuris esse, nec uitae communitas dici possit: satis intelligitur, uoluntati diuinae non repugnare,

si ho-

si homines suum instinctum secuti bestias in usum quemcunque caedant, modo eum, quem supra dixi, abusum euitent, et hinc nec obstare dolorem bestiarum in morte, nec cupiditatem uitiae, omni animantium generi communem, quia hanc ipsarum conditionem uoluerit esse Numen, ut hominum commodis morte quoque sua, cum sensu doloris coniuncta, inseruient; nec illa etiam, quae de crudelitatis officiique deserendi effectu allata sunt, quia pertinent ad abusum; nec denique hominum nonnullorum gentiumque opinionem, quippe quae assensum non meretur, quando nulla idonea ratione subnixa est.

X.

Atque in hac sententia confirmat nos Sacrarum Scripturarum auctoritas, dum iam secundo loco animum ad illas conuertimus. Nam non solum ipso primo Genesios capite certiores reddimur de iis, quae usque antehac ex lumine rationis demonstrata et disputata sunt, sed adhuc plenius capite nono, uid. *Selden. L. 7. c. 1. citat. Puf. IV, 3. 2. inf.* aliisque multis locis, quibus concessa hominibus in res terrae et bestias potestas usurpata et ad actum perducta legitur.

XI.

Jam quod ad ipsam doctrinam de origine dominii attinet, tenendum primum generatim, magis subtiliter et otiose, quam utiliter de prima origine dominiorum et esse a multis disputatum, et hodieque disputari: sed postquam tamen semel res eo redacta est, iam amplius integrum non esse ab illis subtilitatibus abstinere, sed tum uendendum, quid tandem eius rei sit, de qua tanto studio disceptetur, tum eo diligentius accuratiusque pensitanda esse omnia, quo cum maioribus uiris res sit, et ingenio et fama praestantissimis. Deinde speciatim obseruandum, omnem disputationem duarum partium esse ex aliqua:

Aut

Aut enim quaeritur, an praecedente aliqua primaeua communione, et quali illa tandem, aut qua ratione, rerum dominia exorta sint: aut id disceptatur, qua illa ratione sine tali communione coeperint.

### XII.

Et ueterum quidem scripta quando euoluimus, deprehendimus in iis multa de quadam, in qua antiquissimis temporibus bene beateque mortales uixerint, rerum bonorumque omnium communione: quam deinde sententiam ex Christianis hominibus multi quodammodo suam fecerunt, sed firmioribus rationibus nixi. *H. Grotius*, magnum illud Germaniae, et Galliae, et totius pene Europae lumen, *in Opere de J. B. et P. II. 2. 2.* fretus sacrarum literarum auctoritate, Deum, ait, humano generi generaliter contulisse ius in res huius inferioris naturae, statim a mundo condito, atque iterum mundo post diluuium reparato, hincque omnia omnibus communia ac indiuisa fuisse, ut cum nemo quidquam proprii haberet, id quisque potuerit in usum suum arripere, quod placuisse, nec id ipsi ab altero eripi nisi per iniuriam potuerit, donec paulatim, multiplicatis hominibus, a primaeua communione discessum, rerumque proprietas, primum mobilium, deinde et immobilium, prout usus uitae atque necessitas postulasset, per diuisiōnem et occupationem, intercedente pacto quodam aut expresso, ut in diuisione, aut tacito, ut in occupatione, ut scilicet quod quis ita semel possideret, id haberet proprium, introducta fuerit, licet prior ille status non potuerit non durare, si aut in magna quadam simplicitate perstitissent homines, aut vixissent inter se in mutua quadam eximia caritate.

### XIII.

Sed ad hanc Grotii sententiam oppugnandam aggressus est potissimum *Boeclerus in Comm. ad d. l. Grotii*, non solum postremum de duratione primaeuae communionis negans, partim ducto ex eo praeter mentem Grotii argumento,

B

quod

quod talia sperari aut promitti post lapsum non possint,  
quod nec ipse unquam negauit Grotius, nec ignorauit; par-  
tum subiecto pro uero et certo, luculentius scilicet caritatem  
in statu integro elucere distinctis rerum dominiis potuisse,  
quod, si non aperte falsum, tamen ualde dubium aliis uiris  
sapientissimis uidetur: sed et plane reiiciens primum illud  
de ipsa communione, etuelut absurdum pernegans, idque  
itidem dupli ratione, si uim argumentorum collegeris at-  
que expenderis; partim scilicet directo, quod Deus non so-  
lum Adamo, et in eo uniuerso generi humano commune  
orbis dominium donauerit, sed et Adamo, et post diluvium  
Noacho, dederit dominium priuatum, ita ut ii fuerint uni-  
uersi orbis terrarum domini, aliquae omnes, si qui fuis-  
sent, ipsique adeo liberi ab eo, sine praeuia parentum ces-  
sione, exclusi; partim per indirectum, ducto argumento  
cum ab impossibili, quod nec in integrum statum commu-  
nio illa quadret, nec in corruptum, idque quia nec animo  
concipi possit, et in ipsa illa communione locum faciat Grot-  
ius proprietati, dum asserat, quod quisque in eo arripui-  
set, id ipsi ab altero non eripi nisi per iniuriam potuisse; nec  
naturae hominum rationali ac sociali conueniat: tum etiam  
ducto argumento ex natura Juris Naturalis, quod illud  
ipsum uerando inde a primo rerum hominumque ortu fur-  
tum et cupiditatem alieni statim dominium rerum et pro-  
prietatem constituerit. Sed haec quidem quam parum  
Grotianam sententiam feriant, mox uidebimus: in praes-  
enti id tantum obseruari uelim, ante Boeclerum Johannem Fel-  
denum in annot. ad d. l. Grot. non tam ipsam communionem  
negasse, quam modum in communione uiuendi, seu ius ap-  
prehendendi in usum suum quod cuique libuerit, id scilicet  
asserens initio admissum ab hominibus fuisse ex accidenti,  
propter multitudinem rerum creatarum et exiguum ho-  
minum numerum, cum naturaliter aut diuidi inaequali-  
ter fructus inter homines, prout quisque a natura aut ser-  
uili

utili ingenio aut liberali, et quidem secundum gradus praeditus fuisset: aut si non obstante illa ingeniorum diuersitate magis placeat omnes homines natura statuere aequales, minimum aequaliter diuidi debuissent: post Boeclerum autem Zieglerum opinionem de donato Adamo dominio totius orbis priuato tenuisse et tradidisse *in not. ad d. Grot. II, 2. 2. p. 217. et seqq.* itemque cum *Straubio Veltinem in introd. ad Grot. L. 2. c. 2. qv. 1. §. 2. p. 634. et seqq.* sed et alios quoque extitisse, qui sententiam de communi generis humani dominio cum priuato Adami coniuncto defenderint, uid. *Ostend. ad Grot. p. 651. Albert. C. J. N. p. 2. c. 7. §. 14.* imo non defuisse, qui quamvis negarint dominium Adamo priuatum a Deo donatum fuisse, tamen statim dominia rerum sine praecedente communione a primis hominibus occupacione per se ualida introducta statuerint, quod cum *Struilio fecit Henniges ad Grot. p. 346. et seqq.*

#### XIV.

At uero Pufendorfius relictis, quae ante *in Elem. Jurispr. Uniuers. Lib. I. def. 5. tradiderat*, in *Op. Mai. L. IV. c. 4. Grotianam doctrinam de primaeva communione repetit*, et reiectis quibusdam, *v. IV, 4. 9.* caeterisque enucleatius aliquanto propositis, ab aduersariorum telis vindicare annus est. Et primum quidem duo potissimum praemittenda uelut fundamenti loco existimauit, nempe diuisionem communionis in negatiuam et positiuam, quarum illa sit rerum aut nondum facta humano redditarum propriarum, aut iterum a proprietate liberarum, sed quibus utendi omnes ex concessione diuina, et iam eas etiam, caeteris paribus, occupandi, ex instituto humano, par ius habeant; haec autem sit rerum in dominio duorum uel plurium pro indiuiso existentium, *v. IV, 4. 2. et passim*: et deinde, tam communionem posituam quam proprietatem ( seu dominium, *IV, 4. 2.*) innuere exclusionem aliorum ab ista re, quae communis aut propria dicitur, adeoque illam plures uno homi-

nes in mundo praesupponere, ut ipse *IV*, 4.3. loquitur. Tum  
nemo progrediens ad concessionem diuinam, qua benignis-  
simum Numen primis parentibus nostris, et in iis uniuerso  
generi humano, usum rerum orbis indulxit, negat ius  
Adamo datum posse uocari dominium eo uocabuli sensu,  
quo hodie dicatur, sed si quid sit, uideri uocari posse domi-  
nium indefinitum, non formaliter, sed concessiue, non actu,  
sed potentia, tum quia tunc praeterea nemo homo fuerit,  
qui ab usu rerum excludi potuisset; tum quia Deus O. M. in  
illa sua concessione indefinite locutus sit, atque adeo Pro-  
toplastos tantum de indulgentia usus certiores reddiderit,  
non autem modum utendi ipsis praescriperit, nedum or-  
bis dominium eis addixerit, sed eum ipsis ex sana ratione  
reliquerit determinandum. *v. IV*, 4.3. et 4. Ex quo deinde  
passim infert, initio homines, antequam nimis multi-  
plicarentur, propter rerum abundantiam hominumque  
paucitatem aliquandiu in communione quadam negatiua  
perstitis, qua cum nemini quidquam proprii esset, omnes  
habuerint ius in omnia, hoc tamen interposito pacto, mi-  
nimum tacite, ut quod quisque praesentis usus gratia ar-  
ripiisset, id ipsi eripere non liceret alteri; donec tandem,  
aucto magis magisque humano genere, placuerit a prima-  
ua communione recedere, propter metum rixarum discor-  
diarumque atque bellorum, partim ex natura rerum non-  
nullarum, non ubiuis, nec aequali copia omnibusque suf-  
ficienti nascentium, aliarumque culturam quandam ac ope-  
ram insignem requirentium; partim ex inaequalitate la-  
borum, oriendorum, atque adeo factum sit, partim diuisio-  
ne, partim occupatione, ut sensim paulatimque res primum  
mobiles, in primisque illae, quae opera atque labore indi-  
gebant, deinde et immobiles pro usus necessitate ac me-  
tuendo defectu, in propriam hominum potestatem cede-  
rent, hoc effectu, nt nemini amplius in alterius bona quid-  
quam iuris competeteret, nisi quod ex ipsis concessione sibi  
de-

denuo acquisiuisset; et hac ratione, ut illa propria potestas seu dominium uim habuerit non ex diuisione aut occupacione, qui per se non nisi physici actus fuerint, sed ex pacto hominum expresso uel tacito, quod semper in utraque latitauerit, prout aut res inter consentientes diuisae, uel a pluribus occupatae uni cessae; aut ab uno occupatae ei ab aliis relictae fuerint: simul uero etiam tacite inter omnes conuenerit, ut quod nondum esset occupatum, id in primaeva communione (negatiua) maneret, donec et ipsum aliquando si posset, occuparetur.

### XV.

Atque haec Pufendorfii sententia quanquam apud viros et ingenio et doctrina praestantes non solum assensum, sed et tutelam inuenit, speciatimque apud *Dn. Vernberum El. J. N. et G. C. 14. §. 4. et seqq. Dn. a Rijssel, de J. N. et G. c. 14. §. 5. et seqq.* itemque apud *Dn. Thomassum J. J. D. II. 10. 41. et seqq.* nisi quod hic §. 47. et seqq. usum primis parentibus concessum ne ius quidem, nedum dominium, etiam si indefinitum concessue et potentia, nominandum censeat, nec §. 87. et seq. opus arbitretur esse ad vindicandam facultatem in ipsa quoque communione re non fungibili secure et sine impedimento utendi, et fungibilem quoque consumendi, ad tacitam quandam conuentionem configere: tamen illa ipsa aliis displicuit, uel afferentibus, quae sententia est *Dn. Titii in Observat. ad Pufend. de O. H. et C. L. I. c. 12. obs. 276. et seqq.* oblatum a Deo in primis parentibus uniuerso generi humano uniuersale quoddam orbis dominium, idque proprius sic dictum, fuisse, quod deinde statim homines sine praecedente communione acceptare occuperint, modo suo quidem arbitrio relieto, sed per se tamen ualido, nec demum ex pacto quodam expresso uel tacito uim acquirente, occupando scilicet, quantum lex de custodienda societate permittebat, sed nec tamen usque ad hunc diem rem perfecerint, quando multa sint adhuc loca, in dominio il-

lo uniuersali posita, quae cum occupari a quolibet possint, a nemine in potestate teneantur: uel statuentibus, pri-maeuam quandam communionem, quam Grotius et Pu-fendorfius tradiderit, quidem praecessisse, sed ab ea non pacto quodam humano discessum, sed occupatione per se ualida fuisse, quam sententiam proposuit *Dn. vander Muel-en in Comment. ad Grot. II, 2, 2.* et propugnauit: uel minimum negantibus, uim occupationis ad efficiendum dominium, siue tandem illam praecesserit communio a Grotio Pufendorfioque asserta, siue non, a pacto humano re-petendam esse, cum illa ex eo ipso iure, quod Deus hu-mano generi in terram et mare largitus sit, orta, satis iam societatis custodia muniatur: quo pertinent, quae *Dn. Her-tius ad Puf. IV, 4. 4.* annotauit, et iam dudum ante ipsum Pufendorfium Grotio opposuit *Feldenus in annot. ad Grot. II, 2, 2. p. m. 119. et seqq.*

## XVI.

Quibus rebus iam liceat retro legere uestigia, et a cal-ce ad carceres reuerti, ut tandem distincte et luculenter appareat, quid sit, quod mihi in uniuersum de dominii ori-gine uideatur.

## XVII.

Et cum meminerim, me principio dixisse, omnem disputationem de origine dominii magis subtilem et otio-sam, quam utilem esse, id iam primum cogitandum ex-istimo, annon plane quaestionibus illis et disceptationibus circa ortum dominii carere queamus. Sane quod non-nulli ideo primaeuam aliquam communionem negarunt, statimque cum ipsis hominibus dominium quoque extitisse contendenterunt, ut dominium maris uni uel alteri populo assererent, id frustra factum esse facile agnoscat, qui cog-i-tauerit, dominium maris pro ea parte, qua populi cuius-que terras alluat, uindicari sine illa doctrina, et multo ubidem commodius posse, idque ipsum ostensum et factum esse

esse ab illis, qui primaeuam communionem omnibus modis defenderunt, uid. Huberum Digress. P. I. L. 4. c. n. iuncto Pufendorfio IV, s. s. et seqq. magni autem et uasti oceani dominium ne sic quidem uni uel alteri populo asseri posse, quia qui ullam unquam inter homines universos communionem fuisse negant, necesse habent statuere, dominium priuatum totius orbis, et sic uasti quoque oceani, aut donatum a Deo primis hominibus ante et post diluvium, et occupatione non nisi acceptatum; aut ab iis, indulgente Numine, per occupationem, tanquam modum acquirendi dominii naturalem et originarium, quaesitum, et ad posteros iure hereditatis uel donationis inter uiuos, uel alio iusto titulo transmissum fuisse, occupationem uero aut nunquam modum acquirendi dominii fuisse, aut certe post illam primam talem esse desisse, factamque esse modum dunitaxat possessionem rei hereditate, donatione, aut alio iusto titulo acquisitae, capiendi, atque uero ita in populum, cui dominium uasti oceani per omnis communionis negationem uindicatum itur, insuperabile onus transuoluitur alium titulum, quam occupationem, docendi.

### XVIII.

Porro quod aliquibus uisum est, in casu, quo quis alteri clam aliquid auferat summa necessitate coactus, ad primaeuam quandam communionem, subsecutamque uia pateti inter homines expressi tacitique rerum proprietatem, confugere, ut facinus a furti crimine liberarent, id et displicuit aliis, quibus alias illa de primaeua communione ualde placuit sententia, aut asserentibus, sicut sine intercedente pacto humano, occupatione iam per se et ipso Jure Naturali ualida a primaeua communione discessum fuerit, ita quoque ipso J. N. in casu et periculo uitiae extremo primaeuam reuiuiscere communionem, quam sententiam Dn. vander Muelen in comment. ad Grot. II. 2. 2. p. 59. contra auctorem de principiis iusti et decori, seu Lamb. Velthusum

sium attulit: aut plane aliunde quam a primaeva communi-  
nione rationem illius rei repetentibus. uid. Pufend. II, 6. 6.  
Imo nec generatim uideo, quid obstet, quo minus eo con-  
tentii esse possimus, quod sciamus partim, licere humano  
generi terra et mari, et quae utraque continentur, rebus  
omnibus uti; partim usum illum tranquillum, ut decet, et  
salutarem in tanta hominum copia non posse nisi distinctis  
plerarumque rerum dominiis esse; partim denique, modos  
cum amittendi, tum acquirendi dominii, qui hodie usi ua-  
lent, tam naturales, quam ciuiles, pro eo statu, in quo nunc  
mortales uersantur, maxime esse sanae rationi consenta-  
neos, ut cum de praesenti statu rerum humanarum nul-  
lum sit dubium, uetus ille et primus optimo iure igno-  
rari posse uideatur.

### XIX.

Sed quoniam supra statim subiunxi, non amplius inte-  
grum esse a controuersia de origine dominii abstinere, post-  
quam inter tot tantosque uiros usque in hunc diem est  
agitata, sed potius accurate diligenterque cognosci illam et  
expendi oportere: mearum partium esse duxi, iam ist-  
hoc quoque labore pro uiribus defungi, et perspicue  
atque distincte primum uidere, quid ratio sibi soli relicta in  
illa controuersia possit, tum uero, an et quomodo sacra-  
rum literarum possit auctoritate componi.

### XX.

Et ratio quidem sola quanquam facile deprehendit,  
et proprietatem et communionem esse qualitates rerum  
morales, quae ipsam earum substantiam non afficiant, sed  
ab hominibus iis superimpositae fuerint, atque adeo do-  
minium non cum ipsis rebus extitisse, sed facto coepisse  
humano: tamen utrum statim mortales occuperint res di-  
stinctis dominiis posidere, et tantum quisque occupauerit,  
quantum sibi suisque alendis sufficere uidebatur; an uero  
aliquantum temporis uixerint in communione bonorum,

ut

ut usus rerum omnium, quae ad tritiae cultum pertinent,  
omnibus pateret, proprietas pertineret ad neminem, do-  
nec tandem multiplicato genere humano id quisque pro-  
prio iure tenere coeperit et sibi soli possidere, quod primus  
occupauerit, uel etiam ex diuisione acceperit, id uero est,  
quod certo et solide sola ratio determinare non potest. Sed  
magis tamen inclinat in primaeuam quandam communio-  
nen, partim quod, licet lumine naturali certo non con-  
stet, principio rerum unum duntaxat hominum pars a sum-  
mo Numine, huius unitensi conditore, creatum esse, ta-  
men ualde probabile uideatur, non adeo multos initio ho-  
mines productos, sed alios ex aliis ortos deinde et profe-  
minatos fuisse; partim quod ratio examinando naturam ho-  
minum et inclinationes, deprehendendoque cum maximam  
ad malum proclivitatem, tum praeter eam tamen quoque  
nonnulla boni rectique semina, et quasdam quasi scintil-  
lutas uirtutis, suspicari incipiat, fuisse ab initio homines  
totos rectos et bonos, et a mala libidine liberos, sed post-  
modum quacunque tandem ratione corruptos mortalium  
animos et depravatos fuisse, et ad malum effectos semper,  
quam ad bonum, procliuiores. Nam haec expendendo  
ratio cum nec uideat, quid primos homines compulerit,  
ut statim solicii de rerum dominiis essent, in tanta rerum  
copia et hominum paucitate pariter ac abstinentia et probi-  
tate; nec tamen id audeat asseuerare, quod ipsa non nisi per  
tenebras, et ex longo quasi interuallo cognoscit, putat qui-  
dem et persuadere conatur, principio mortales, cum adhuc  
sine mala libidine uitam agerent, omnia habuisse comiu-  
nia, sed certi quid concludere et definire non potest.

## XXI.

Porro nec id ualeat determinare, an si qua fuerit pri-  
maeuia communio, in ea quisque arripuerit de fructibus  
quantum sibi necesse fuerit: an uero illi inter omnes diuisi-  
uel aequaliter, uel secundum ingeniorum diuersitatem fue-  
rint:

rint: sed tamen et magis inclinat in illam sententiam, quam hanc, propter illas ipsas, per quas ipsa communio probabilis uidetur, rationes; et quod ad ius attinet, id pro certo habet, stante posteriore sententia, non diuidi fructus secundum diuersa ingenia, liberalia puta uel seruilia, debuisse, ut quidem Feldenus existimauit, propterea quod natura quidem negari non possit alios esse ad imperandum, alios ad seruendum aptiores, sed ista hominum ingeniorumque diuersitas nullum natura ius, nec alteri in alterum, nec alteri p[ro] altero tribuat. Conf. Pufend. III. 2. 8. stante uero sententia priorre, non necesse esse tacitum pactum fingere, ui cuius non diuisi aequaliter fructus rerum et usus fuerint, sed id usurpauerit quisque, et pro re nata consumserit, quod primus arripuerit, cum potius uice uersa id pacto tacito adscribendum uideatur, si nemini quidquam arripere pro lubitu, aut plus quam alteri licuerit, siquidem non plus arripuerit, quam ipsi opus fuerit, propterea quod concessu hominibus a DEO rerum usu tantum non possit non intelligi concessum cuique esse, quanti indigeat, non autem tanti semper alter, quanti aliis indigeat.

## XXII:

Sed illud tamen plane ratio capit, necesse non esse, ut pactum quoddam de constitutis rerum dominiis expressum uel tacitum inter homines aut intercesserit, aut intercessisse fingatur, quod occupationi uim ac efficaciam daret, siue demum statuatur primaeva quaedam communio, siue negetur, cum fieri quidem forte potuerit, ut duobus aut pluribus unam rem occupantibus, uel in occupatae a pluribus diuisione postulantibus, interposito pacto determinatum fuerit, cuius illa dominio cedere debeat: sed iam satis tamen per se uim habuerit ad producendum dominium, ad minimum commune, occupatio, ex eo, quod et usus rerum creatarum uniuerso generi humano concessus, et modus ei nullus natura adiunctus sit et praescriptus, nisi quem

quem lex in animis nostris insita et inscripta iubeat obseruari, haec autem ipsa lex tantum absit, ut occupari res haec tenus nullius uetet et iure proprio possideri, ut potius id fieri uehementer suadeat, salua tamen custodia societatis.

XXIII.

Nec est, quod ex his ipsis colligas: si usus rerum creatarum uniuerso generi humano concessus est, et ante distincta dominia aequae omnibus competiit: si modus utendi hominum arbitrio relictus est: si lex naturae non iubet res in dominio esse, sed suadet, profecto consequitur, non posse aliter intelligi introducta rerum dominia esse, quam interueniente pacto humano, saltem tacito, ut quod quisque caeteris paribus occupasset, id ipsius maneret proprium, cum et in communione quadam uniuersali uti rebus homines et frui, et si quis sua sponte aliquid occupare et sibi soli habere uoluerit, id ei ab alio uicissim eripi, et ad communionem reduci, lege scilicet occupationem rerum et dominium non praecipiente, usque rerum natura omnibus competente, potuisse uideatur. Nam salua res est, si consideretur non solum, quid lex naturae ante occupationem, per eamque introductum dominium, sed et quid post illam, ab uno uel altero, uel omnibus, diuersis in rebus, factam, disponat. Sane ante occupationem liberum fuit humano generi, communione res sibi utiles, an distinctis dominis uellent possidere, nec alterutrum lex naturae praecipiebat: sed postquam eadem semel uel ab aliquibus, reliquis dissentientibus, facta fuit, tunc lex naturae dictauit, non posse quod quis semel animo sibi habendi proprium occupauerit, (intra fines legitimos, qui sunt, ut ne quis omnia aut nimis multum occupet, sed et hic societatis humanae et naturalis aequalitatis ratio habeatur) id ei uicissim detrahi, praesertim si operam in id impenderit, cum et satis multa restent, quae et alii ad suum usum pari ratione sibi uindicent, et facile quisque intelligat, tum propter de-

prauationem humanae naturae perpetuam communionem rerum inter homines omnes nec sperari, nec esse posse; tum si, qui postremum nascantur, nihil inueniant, quod ipsi occupare possint, id eos sorti nascendi adscribere, et partis a maioribus bonis contentos uiuere oportere.

XXIV.

His ita lumine rationis perspectis atque praefectis recta via contendimus ad Sacrum Oraculum, uisuri, an ex eo et quo pacto controuersia omnis de ortu dominii dirimi possit, hoc consilio et hac sententia, ut quod ex literis sacris probari non possit, in eo subsistendum in dictamine rationis esse censeamus. Neque uero id melius perfici posse puto, quam si primum uideamus, utrum statim ab ipso DEO O. M. dominium proprie acceptum, siue priuatum Adamo, et post diluuium Noacho et filiis; siue uniuersale toti generi humano collatum sit: an uero potestas tantum facta humano generi utendi fruendique orbe terrarum, et quas is ambitu suo complectitur rebus: deinde posteriori casu, utrum principio aliqua fuerit rerum communio, et qualis illa tandem, an uero nulla: tum siue fuerit communio, siue non, quomodo dominia rerum sint introducta.

XXV.

Quod itaque primo loco ad eorum sententiam attinet, qui dominium priuatum totius orbis terrarum in Adamum, et post diluuium in Noachum collatum a DEO putant, ea quidem ex sacris scripturis probari non potest, cum non aequa bene solum, sed et multo melius et rectius explicari, quae de concessione diuina cum primo, tum nono Geneseos capite leguntur, de facta potestate seu concessio iure utendi pro lubitu, fine modo praescripto, rebus, quae terra marique continentur, quam de priuato quodam orbis terrarum dominio possint, in untum hominem collato, ab eoque ad liberos primum Adami et Noachi, et ab his ad alios iure hereditatis, donationis aliisque titulis uariis translato.

Nam

Nam primum negari non potest, Adamum et Euam, cum ipsis DEUS benediceret, adiuncta concessione subiiciendi sibi terram, et bestiis terrestribus maritimisque dominandi, uniuersum genus humanum repraesentasse, et post diluvium DEUM O. M. non cum solo Noacho, sed et cum filiis eius locutum, et omnibus eandem potestatem denuo largitum esse, quam olim primis parentibus concesserat. Deinde ista stante sententia causam quaelibet gens habet dubitandi de iustitia possessionis terrarum suarum, quia et ii, qui istam sententiam defendunt, statuant necesse est, occupationem non esse modum acquirendi dominii originarium, sed esse modum possessionem duntaxat apprehendendi rerum hereditate, donatione aut alio iusto titulo ad aliquem deuolutarum; et pleraque gentes quando longissime respiciunt spatium praeteriti temporis, et memoriam regnum terrarumque suarum recordantur ultimam, inde usque repetentes nullum alium uident titulum quam occupationis uacuae terrae pro se afferri posse, nesciis plane, ea pars hereditatis ordine et ductu quasi legitimo ad se pertinuerit. Tum uero mallem scire, a quo insulae et terrae uacuae a nemine hactenus possessae, aut res, quae dominum habere desierunt, iure possint occupari? a primis uenientibus id fieri posse dici non potest, propterea quod ex illa sententia occupatio est modus acquirendae possessionis, non dominii, ut modo dictum, et qui nihilominus putant illas cedere primis occupantibus, produnt causam suam et uitium sententiae, dum sibimet ipsis manifeste repugnant.

## XXVI.

Nec est, quod ad pactum aliquod tacitum refugium quaeras, quo scilicet homines, secundum ordinem nascendi orbis heredes, inter se conuenisse intelligendi sint, ut quas terras inter se non diuisissent, illae cederent occupantibus, hac sententia, ut occupatio non tam sit modus acquirendi

originarius, quam modus apprehendendi dominium eorum rerum, quae in diuisionem non uenerunt, ab illis ipsis heredibus per tacitum, quod dixi, pactum, in incertos homines, ut in missilibus iactis fieri solet, translatum. Sed quam lubrica haec sit procedendi uia, facile quisque intelligit, qui haec ad usum applicans singit gentem aliquam insulam nouiter in mari repartam occupasse, sed mox uenire aliam gentem uel plures, quae in partem insulae postulent admitti, ex ea ratione, quod omnes homines rerum, quae extra diuisionem manerint, sint domini pro indiuiso, et illis primis obiicientibus occupationem, pacto, quod dictum est, tacito suffultam, respondeant, se nunquam consensisse in id, ut terrae haec tenus in cultae totae cederent occupantibus, atque adeo pactum illud tacitum aut nullum esse, aut non uniuersale. Quid enim iam dicendum, aut qua ratione efficiendum, ut illa multitudo post aduentans consentire debuisse, et iam iure consensisse intelligatur? Si putas, consensum et ad eum obligationem ex facto antecessorum repetendum et eruendum esse, quo inde a primis mortalibus non alia ratione transmissae ad posteros orbis terrae fuerint, quam ex pacto minimum tacito, ut quae nunquam in diuisionem uenissent, et occupata a maioribus accepissent posteri, ea cederent primis occupantibus, quae-  
so unde hoc, in facto positum, probabitur? et qualia signa taciti consensus et pacti negantibus id unquam factum esse, afferentur? si ad ipsum ius naturae configiendum putas, dicendumque, quemlibet hominem et olim fuisse, et hodie esse obligatum ad consentiendum in id, ut quae a nemine possiderentur, cederent et relinquenterur occupantibus, ad conseruandam societatis humanae tranquillitatem, quae-  
so, quid est per dubias ambages et obscuras procedere, quo recta uia peruenire potuisse, si hoc non est? aut quid dici potest multis uerbis negatum esse, ut in fine tandem affirmetur idem, si hoc non potest? cur non aperte profiteris,  
occu-

occupationem esse modum acquirendi dominii originarium, eumque plenissimum et uestigium? Sed scilicet illa sententiae de dominio Adami uniuersali magis conuenire uidentur, quam haec.

### XXXVII.

Neque uero rectius procedunt illi, nec rationibus ad ductis satisfaciunt, qui duplex dominium in Adamum collatum docent, alterum commune et ad omne genus humananum pertinens, alterum priuatum (totius orbis) et Adami proprium. Nam si utrumque dominium proprio uocabuli sensu interpreteris, id inde consequitur, eandem rem et uni et omnibus esse propriam, quo quidem nescio ego an quidquam inconuenientius possit excogitari? sin uero primum improprie capias pro concessso a DEO usu rerum ab Adamo ad posteros hereditate aliisque titulis transmis sarum, non solum fictione illa duplicitis dominii nihil roboris sententiae accedit, nec dubia proposita remouentur, sed et manifestus ille abusus uocabuli dominii nescio quid non satis accuratum prodit.

### XXVIII.

Melius quodammodo faciunt, qui in Adamo et post diluvium Noacho filiisque eius toti generi humano dominium orbis uniuersale oblatum statuunt, quod dum deinceps quisque occupando res ad suum usum acceptauerit, exorta fuisse dominia singularia et priuata sine intercedente pacto humano: sed nec huic tamen ego sententiae subscribere possum, partim quod ius humano generi in Adamo et Noacho filiisque eius concessum, dominium proprie et stricte sumtum (ut quidem ab illis sumitur) dici non possit, cum praeter homines ipsos nemo unquam futurus fuit, quem ab illo usu excluderent, uid. *retro §. 3.* partim quod, etiam si daretur, istud ius generi humano concessum, pro dominio uniuersali haberri posse, non appareat tamen, quomodo per occupationem dominia rerum singularia con-

constitui sine pacto humano, saltem tacito, potuerint, cum dominium uniuersale proprie dictum non possit non ius omnibus dare in omnia pro indiuiso, atque adeo quae ab uno occupata sunt, ut apud se essent perpetuo, ab alio possint uicissim eripi, nisi hic iuri suo renunciauerit pacto, minimum tacito, dum illum passus est occupata retinere, et ipse quoque fortasse simile quid fecit.

### XXIX.

Itaque ergo optimum mihi uidetur dicere, DEUM O. M. fecisse quidem potestatem, aut si mauis, concessisse ius Adamo, et post diluvium Noacho cum filiis eius, et in iis utrimque uniuerso generi humano, utendi fruendique rebus terrestribus pariter atque maritimis, et terra marique ipso, quam possent optime, sed illam potestatem, illud ius nec singulare et priuatum, nec uniuersale dominium aut esse, aut dici posse, atque adeo id quidem certum esse, dominium non ab ipso Numine introductum, sed actu placitoque humano esse, siue id statim factum, siue post aliquam, qualcunque tandem, communionem, fuerit, de quo mox paulo fusi us tractabimus.

### XXX.

Nec obstat, quo haec sententia oppugnari posse, et illa prima confirmari uidetur, quod sine dubio non plus iuris habeant homines nec in res ipsas, nec inter se, quam primi illi a Deo acceperint: iam si isti nudam facultatem utendi sine proprietate acceperint, et in iis omne genus huma-  
num, consequens esse, ut non potuerit a posteris proprietas usurpari, seu distincta rerum dominia constitui, nec ab illis ipsis primis hominibus, nec a posteris; itemque nec respectu DEI, quia non plus quam facultatem utendi concesserit, nec respectu hominum inter se, quia omnibus illa facultas concessa fuerit. Conf. Pufend. IV. 4. 10. et 11. Nam ut operose non adducam, quae ad ea reposuerit Pufendorfius d. l. et post eum Dn. vander Muellen in Comment. ad Grot. II. 2. 2.

specia-

speciatim contra B. Dr. Zieglerum disputauerit , summum omnium iudicio uirum , et JCtum consummatissimum , sed quod ad doctrinam de origine dominii , uisum nonnullis non satis distinxisse communionem negatiuam , qualem illam pramaeuam fuisse Grotius et Pufendorfius asseruerunt , a positua et illa , quae est rerum uniuersitatis . v. Zieglerum ipsum in not. ad Grot. II. 2. 1. p. 216. defensum ab Obrechto ad d. l. Grot. p. 1079. illa , inquam , omnia uel tribus uerbis adiectis refelluntur , primos scilicet mortales , et in iis uniuersum genus humanum accepisse a D E O facultatem utendi rebus quam possent optime . Cuius negandi cum nulla causa idonea afferri , nec ex Scriptura , nec ex sana ratione possit , manifestum est , bene recteque mortales cum ratione DEI , tum ratione hominum inter se , instituisse rebus uti distinctis dominiis , siue statim ab initio , siue aliquanto post , quia scilicet melior modus utendi , et corruptae naturae humanae conuenientior , ne animo quidem fingi , nedum adhiberi ac obseruari potuerit . Quo simul satisfactum esse puto illis , qui sine dominio orbis uniuersali ( proprie dicto ) toti generi humano donato non potuisse singularia dominia constitui arbitrantur .

### XXXI.

Sed nec praeterea obstat , quod Jus Naturae cupiditatem alieni furtumque prohibeat , idemque illud simul cum primo homine coepisse tralatitium sit , atque adeo cum alienum quid intelligi et furtum nisi distinctis rerum dominiis non posit , necesse sit ut statuamus , proprietatem rerum seu dominium non facto arbitrioque humano , sed ab ipso D E O aut decantata illa concessione , aut minimum ipso Jure Naturali statim constitutum effectumque esse , uel eo ipso , quo furtum et alieni cupiditatem prohibuerit , idque statim principio generis humani : quasi uero , ut multa alia silentio praeteream , Jus Naturae ita comparatum sit , ut omnia eius praecpta pari ratione hominum animis

insinuata a sapientissimo legislatore fuerint, et uno uelut contextu unoque impetu se in primis statim hominibus, primoque momento exeruerint, ut non potius multa diu quasi tecta in cerebro delituerint, et alia fortasse hodieque delitescant, donec, cum ius Naturae innotescat per dictamen rationis, dictamen autem subsequatur notitiam rei et cogitationem, notitia autem et cogitatio rei, quae non existat, nulla sit, existens res, et oculis animisque subiecta, per cogitationem dictamen rationis elicuerit.

### XXXII.

Proximum est, ut dispiciamus, an primaeua quae-dam communio ex Sacris Scripturis probari possit. Equidem id parum obstatre puto, quod ordo possidendi res distinctis dominiis tanquam pulcherrimus non potuerit non conuenire statui integratatis, tanquam longe perfectissimo, atque adeo in eo nec potuerit, nec debuerit esse talis communio. Nam et nimis manifesto id, quod corruptam hominum naturam arguit, statui integerrimo applicatur, et conuenientissimi existimatur; et quantum ex Scriptura Sacra coniici potest, status iste primus per breve tempus durauit, et interea aliquam diuisionem uel occupacionem inter Adamum et Euam factam esse nec uerisimile est, nec ex scriptura probari potest, ut adeo omnis res huc redeat, an ex statu corrupto quidquam afferri possit, quod communioni illi repugnet. Sed id quidem non plus quam illud roboris habet, quando dicitur, statum communionis rerum post lapsum non potuisse uel minimum temporis durare, sed fuisse naturae humanae siue rationali contrarium, ferinum, insociabilem, quia nimis itidem manifesto principium communionis cum eius duratione confunditur, nec ratio appetat, quare non primi mortales, antequam nimis multiplicarentur, potuerint, si voluerint, in communione bonorum uiuere, in tanta et terrae magnitudine, et rerum copia, et hominum contra paucitate. Nec por-

ro contradicere sibimet ipsis existimandi sunt, qui primae-  
uam asserentes communionem concedunt, quod quisque  
arripuerit ad suum usum, et consumere, si consumi pote-  
rat, uoluerit, id ei ab alio eripi non potuisse, quasi negan-  
tes dominium in ipsa communione proprietatem fuisse con-  
fiteantur. Nam loquuntur de fructibus et usu rerum, non  
proprietate seu dominio. Usum rerum et fructus aiunt  
aequaliter ad omnes pertinuisse, proprietatem ad nem-  
inem, quippe quae tunc ne nota quidem fuerit. Sed et  
usum ita comparatum fuisse, ut alter in eo ab altero non  
potuerit turbari, id alii pacto cuidam, minimum tacito, ad-  
scribunt, ut *Pufendorfius*, et qui eum sequuntur; alii ex ipsa  
communionis natura et praecepto generali de custodienda  
societate et pace communi generis humani deducunt, ut  
*Dn. Thomasius loco jam supra adducto, J. J. D. II. 10. 77. et seqq.*

### XXXIII.

At enim uero illud grauius obstatre puto, quod talis  
primaeva communio, qua aliquamdiu primi homines ante  
et post diluuium aequaliter rebus usi fuerint, de rebus ipsis  
nihil habuerint proprium, donec augescenti indies generi  
humano placuerit paulatim a communione discedi, et distin-  
cta rerum dominia introduci, non possit liquido ex Sacris  
Literis probari, sed potius uestigia in contrarium extare  
uideantur, cum *quarto capite Geneseos, vers. 2. 3. et 4.* tum *ca-  
pite nono, v. 26. et 27. et decimo passim*, licet ideo necesse non  
sit statuere, Adamum, et post diluuium Noachum, orbem  
terrarum inter filios suos diuisisse, ita ut ille Caino omnia  
immobilia, Abelo omnia mobilia addixerit, ut nonnullis ui-  
detur: hic autem suo arbitrio terminos posuerit filiis, qui-  
bus cuiusque posteritas contenta esse deberet; et multo  
minus, Adamum et Noachum id fecisse ex dominio orbis,  
ipsis solis a DEO collato: sed sufficiat, Cainum habuisse  
proprios agros, et Abelem proprios greges et armenta, et  
filios Noachi in diuersis terrarum partibus genus huma-  
num

num propagasse. Evidem haec ita quoque commode explicari posse haut absurdum dixeris, ut et greges et agric communes fuerint, et Cainus duntaxat magis rei agrariae, Abel contra pecuariae curam habuerit; Noachi autem filiorumque ipsius posteri post longum demum tempus certos terminos acceperint: sed ita reuera tantum dubia et probationis obstacula remouentur, nec ipsa sententia de primaeuia communione directo et sat perspicue probatur.

#### XXXIV.

Et quamvis porro propugnantibus communionem ualde patrocinari uideatur *caput sequens undecimum, uersus potissimum secundo*, quo totus mundus, seu totum genus humanum commigrasse dicitur uersus orientem, et in plana quadam regione, appellata Sinear, consedisse, et post suscepitam demum immensam illam et temerariam turris babylonicae aedificationem confusis a D<sup>O</sup> linguis in omnes terras dispersum dissipatumque fuisse; tamen anceps est eius rei explicatio, et in utramque partem trahi potest, nempe et ante commigrationem habuisse singulas familiias proprias terras, proprios greges et armenta, sed illis relictis, et his secum uel distinctis uel confusis abductis, alium in locum una migrare placuisse; et non habuisse, sed post dissipationem demum illa accepisse et tenuisse: itemque occupatam terram Sinear et communione possessam, et distinctis rerum dominiis fuisse.

#### XXXV.

Evidem *Huberus*, uir celeberrimus, nihil ait sibi dum minus placere, aut ad sensum suum solicitare potuisse, quam quod doctis aliquot uiris in mentem uenerit contendere, nullam inter primaeuos mortales unquam fuisse, nullam etiamnum superesse rerum inter omnes homines communionem, cum tamen non solum olim omnia simul occupari non potuerint, sed non nisi multi temporis lapsu pleaque terrarum occupata fuerint, atque adeo semper, quae occu-

occupanda restiterint, in communione permanferint; sed et hodieque constet, nondum omnes terrarum partes occupatas esse, adeoque in communione hucusque perstitisse, praeter easque in multis animalibus, quae aethere, quae mari terraque contineantur, non potuisse desinere communionem, quia nunquam desinere potuerit occupatio singularum. Vid. *Digress. P. I. L. 4. c. 11. et de Jur. Ciuit. L. 2. sect. 4. c. 1. §. 18. et 19.* Quibus addi potest ex Pufendorfio, quod dominium sit qualitas moralis, non cum ipsis rebus enata, sed iis factis humano superaddita, et exinde neci argumentum, quia non potuerit dominium natura sua aliter quam a possessione incipere, possessio autem sit facti, necesse esse ob fugam infiniti, ut modus acquirendi dominii originarius inceperit uel ab occupatione uel a diuisione, utramque autem harum communionem supponere. Quo argumento nouissime usus est *Dn. Thomasi in F. J. N. et G. L. 2. c. 10. §. 7.*

### XXXVI.

At enim uero puto aliquantum cautius quam ab Hubero factum, procedendum esse. Nam si per communione intelligas statum hominum, non omnia, quae terrarum orbis complectitur, possidentium, sed ius tamen ad omnia, quae restant, habentium, aut occupanda, aut si occupari non possint, communiter usurpanda: atque sic magis uocabulo communionis denotes statum rerum nondum occupatarum, aut denuo nullius factarum, quatenus a quolibet primum ueniente, caeteris paribus, occupari possunt, ea quidem communio uix in dubium uocari potest, nisi ab eo, qui sententiam fouens de priuato dominio totius orbis in Adamum et Noachum a D E O ipso collato, pertinaciter uoluerit defendere, quae ex ea contra rationem et experientiam, et sensum propemodum communem consequuntur. Porro quoque, si per communione intelligas statum hominum primorum ante ul-


lum usum rerum creatarum, quatenus si iis uti distinctis separatisque dominiis uoluerint, necesse habuerint possessionem earum apprehendere, praecedente uel nuda occupatione, uel etiam diuisione, atque adeo facto humano introducere dominium rei, quod haec natura non continet; atque sic quoque communionis uocabulo indices magis statum rerum, quatenus ante occupationem et diuisionem ab hominibus factam non possint dici in dominio fuisse, quia dominium qualitas moralis sit, non physica: nemini ego quidem litem de uocabulo mouebo, sed quantum haec uocabuli communionis significatio ab illa differat, quam mox subiiciam, et alias strenue *Dn. Thomasius* defendit, et quam parum ab una ad alteram inferri possit, facile intelliget, qui et hanc tertiam communionis significationem mox subsecuturam expenderit, et ex superioribus (*v. §. 20.*) repetierit, rationem quidem id nosse, rerum dominia non cum ipsis rebus extitisse, sed utrum statim occupatione diuisioneque hominum introducta, an post aliquam demum tertii generis communionem fuerint, id liquido determinare non posse.

### XXXVII.

At si per communionem intelligatur status primorum mortalium, quo aliquamdiu ius utendi fruendi rebus ad uitae cultum pertinentibus habuerint singuli, at ex rebus ipsis proprium possederint nihil, ut a Grotio, Pufendorfio aliisque: tum uero non solum id adeo mirum uideri non debet, si haec talis communio negetur, cum nec ex sacris literis, nec ex sana ratione liquido probari et commonstrarri possit: sed et porro accurate attendendum, utrum haec ipsa communio statuatur positiva an negativa fuisse, i. e. utrum dicatur, res in communione existentes cum quod ad proprietatem, tum quod ad usum et fructus, omnium fuisse pro indiuiso, quem in sensum communionem describit *Huberus d. tr. d. Jur. Civ. d. I. §. 15.* an uero dicatur, res il-

las quod ad usum et fructum ad omnes pertinuisse , quod ad proprietatem fuisse nullius , ne omnium quidem pro indiuiso . Nam qui posituam aiunt fuisse , necesse habent statuere , ius generi humano in res creatas concessum a Deo esse et dici posse proprio sensu dominium uniuersale : qui negatiuam dicunt , sentiunt contra , quia scilicet omnes homines coniunctim sumti non habeant , quem ab usu sibi concesso excludant . Ex quibus consequitur partim , Huberum parum sibi in doctrina de origine dominii constitisse , qui alio loco docuerit , proprietatem rerum in primaeua communione ad omnes pro indiuiso pertinuisse , alio contra , dominium non esse , nec dici posse , quando nemo sit , qui ab usu rei excludatur : partim , non frustra esse distinctionem communionis in posituam et negatiuam , cum non sufficiat accuratis ingeniis statuisse primaeuam communionem , nisi simul accurate , qualis illa fuerit , definiuerint , licet eorum , qui statim occupatione rerum dominia formata et constituta arbitrantur , parum uideatur interesie , positua illa communio an negatiua fuisse dicatur . Vid . Dn . Titius in Obs . ad Pufend . de O . H . et C . Obs . 279 . n . 2 .

### X X X V I I I .

Sed quod tandem ad meam sententiam de primaeua communione attinet , primum illam communionem , quae statum magis rerum nunquam occupatarum , aut ante factam occupationem , quam hominum designat , ego non nego et olim fuisse , et hodieque esse : deinde ex eo genere communionis , quae ante ortum dominii , ut id hodie habemus , aliquamdiu inter primaeuos mortales floruisse dicitur , posituam , quae vocatur , fictam ego (sc . uniuersalem) et nullam propter fictum dominium uniuersale ; negatiuam uero nec penitus reiiciendam et pernegan-  
dam , nec nimis confidenter asserendam , pertinaciterque propugnandam , sed quasi in medio reliquendam esse censeo , idque ea potissimum ratione , quod nec probari illa luculenter ex scripturis sacris , nec tamen conuelli etiam ex iis possit , atque adeo certius nihil afferente scriptura , eatenus standum rationis judio ,

dicio, quatenus nec asseri certo primæliam communionem, nec negari posse censeat, caeterum autem inclinatio in illam iam prope modum commutanda in contrariam esse uideatur, postquam accidente lumine scripturae manifestum est, rectam hominum naturam et a mala libidine vacuam non diu durasse, sed corruptam fuisse, antequam tres homines, nedum tres aut plures familie extiterint, atque hinc suspicio oritur, cum diuersis et separatis familiis rerum quoque proprietatem coepisse.

XXXIX.

Restat nihil amplius, quam ut per paucis videamus, qua ratione, siue tandem aliquam uniuersalem communionem rerum dominia praecessisse, siue ea statim occupatione hominum diuisioneque coepisse dicamus, rerum dominia introducta fuerint. Nempe cum sacro Codice nihil de pacto humano, expresso uel tacito contineatur, ratione autem nulla eius necessitas ostendi possit, per ea, quae supra dicta sunt, ne eo quidem casu, (si rem accurate inspiciamus) quo plures simul in unam rem inciderint, cum ex interposito pacto, cuius res dominio, aut quae rei pars cedere debeat, non tam occupatio uim acceperit, quam persona aut pars rei determinata fuerit, in quam illa uim suam exerere debuerit: acquiescendum et hic esse rationis iudicio existimo, originem dominii recte deduci ab occupatione rerum, eaque et per se ualida sine ullo accidente pacto hominum, & unico modo acquirendi dominii originario. Nam quod aliqui diuisionem saepe cum occupatione coniungunt, id aut in eam sententiam interpretandum est, quam nos de diuisione tenemus: aut si quis aliorum acceperit, eum necesse est falli. Diuisio scilicet aut occupationi accedit, quando duo pluresue rem aliquam simul occupant, occupatamque deinde diuidunt; aut alii modo acquirendi dominii deriuatio, quando pars rei propriae alteri donatur uel uenditur, uel alio titulo in eum transfertur, nunquam uero per se modus est acquirendi, nec originarius, nec deriuatiuus.

F I N I S.

